



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Consuetudo in festorum obseruatione seruanda est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

300 Filij peccata.

& præcipuè in Septembris fine : de sancto Martino, Siluestro, ac Innocentibus, & similiter de dedicatione Ecclesiæ, & quibuscunque aliis potest conformare se quisque consuetudini patriæ. Quod ideo dixerim, quia non videntur prædicta ubique seruari, quamuis præcepta dicantur.

Consuetudo in festorum obseruatione seruanda est.

Circa principium & finem festorum, patriæ consuetudo seruetur, ita vt licet communiter festum celebretur de vespera in vesperam: si tamen ars aliqua (puta sutoria aut tonsoria) consuevit à media nocte in mediam noctem celebrare, seruari potest huiusmodi consuetudo: habetur enim pro approbata patriæ consuetudine quantum ad illas artes quæ sic consueuerunt absque Prælatorum reprehensione celebrare festa.

Filius potest tripliciter in parentes peccare.

Filii peccata peculiaria sunt tria. Primum est irreuerentia parentum, quæ si notabilis esset iniuriando, irridendo aut operando, peccatum proculdubio mortale impietatis est. Secundum est, inobedientia quò ad illa in quibus filius subiicitur patri: subiicitur autem & quò ad domesticam gubernationem, & morum instructionem: est enim pater ex naturæ autore gubernator & instructor filiorum & domus, & ideo inobedientiæ crimen filius incurreret paterna præcepta contemnens. Tertium est ommissio subuentionis: & hoc in casu necessitatis: quoniam pater tenetur sustentare filium, & non econtrario, nisi in casu necessitatis: in quo filius peccat plusquam mortaliter non subueniendo patri indigenti, iuxta vires prouidendo illi de necessariis. Impietatis enim hæc omnia crimina sunt: quia pietas parentibus cultum obsequiumque